

Ovidius

# Ibis

*Een vervensing*

vertaald en toegelicht door  
Christiaan Caspers

Damon



P. Ovidius Naso: *Ibis*



In de linker marge staat een doorlopende regelnummering van de Latijnse tekst, zoals die vertaald is in *Ovidius, Ibis: een vermensing*. In de rechter marge staat de traditionele nummering van de verzen, zoals die afgedrukt zijn in bijvoorbeeld de *Oxford Classical Texts*-editie van de *Ibis*.

1       Tempus ad hoc, lustris bis iam mihi quinque peractis,  
omne fuit Musae carmen inerme meae.

Nullaque, quae possit, scriptis tot milibus, extat  
littera Nasonis sanguinolenta legi:  
5       nec quemquam nostri nisi me laesere libelli,  
artificis periit cum caput Arte sua.

Unus (et hoc ipsum est iniuria magna) perennem  
candoris titulum non sinit esse mei.  
quisquis is est (nam nomen adhuc utcumque tacebo),  
10       cogit inassuetas sumere tela manus.

ille relegatum gelidos aquilonis ad ortus  
non sinit exilio delituisse meo,  
vulneraque inmitis requiem quaerentia vexat,  
iactat et in toto nomina nostra foro,

15       perpetuoque mihi sociatam foedere lecti  
non patitur vivi funera flere viri.

Cumque ego quassa meae complectar membra carinae,  
naufragii tabulas pugnat habere mei,  
et qui debuerat subitas extinguere flammās,  
20       hic praedam medio raptor ab igne petit;  
nititur, ut profugae desint alimenta senectae:  
heu! quanto est nostris dignior ipse malis.

Di melius! quorum longe mihi maximus ille est,  
qui nostras inopes noluit esse vias:  
25       huic igitur meritas grates, ubicumque licebit,

pro tam mansueto pectore semper agam;  
 audiat hoc Pontus, faciet quoque forsitan idem,  
 terra sit ut propior testificanda mihi.  
 At tibi, calcasti qui me, violente, iacentem,  
 30 qua licet ei misero! debitus hostis ero.

Desinet esse prius contrarius ignibus umor,  
 iunctaque cum luna lumina solis erunt,  
 parsque eadem caeli zephyros emittet et euros,  
 et tepidus gelido flabit ab axe notus, 34  
 35 et ver autumnno, brumae miscebitur aestas, 37  
 atque eadem regio vesper et ortus erit, 38  
 et nova fraterno veniet concordia fumo, 35  
 quem vetus accensa separat ira pyra: 36  
 quam mihi sit tecum positis, quae sumpsimus, armis 39  
 40 gratia, commissis, improbe, rupta tuis. 40  
 Quam dolor hic umquam spatio evanescere possit, 43  
 leniat aut odium tempus et hora meum. 44

Pax erit haec nobis, donec mihi vita manebit, 45  
 cum pecore infirmo quae solet esse lupis; 46  
 45 pugnabunt arcu dum Thraces, Iazyges hasta, 135  
 dum tepidus Ganges, frigidus Hister erit,  
 robora dum montes, dum mollia pabula campi,  
 dum Tiberis liquidas Tuscus habebit aquas,

tecum bella geram; nec mors mihi finiet iras,  
50 saeva sed in manes manibus arma dabit. 140

Prima quidem coepto committam proelia versu, 47  
non soleant quamvis hoc pede bella geri:  
utque petit primo plenum flaventis harenae  
nondum calfacti militis hasta solum, 50  
55 sic ego te nondum ferro iaculabor acuto,  
protinus invisum nec petet hasta caput,  
et neque nomen in hoc nec dicam facta libello,  
teque brevi, qui sis, dissimulare sinam –  
postmodo, si perges, in te mihi liber iambus  
tincta Lycamtheo sanguine tela dabit.

Nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin, 55  
60 hoc ego devoveo teque tuosque modo –  
[utque ille, historiis involvam carmina caecis,  
non soleam quamvis hoc genus ipse sequi;]  
illius ambages imitatus in Ibide dicar  
oblitus moris iudicii que mei, 60  
65 et quoniam, qui sis, nondum quaerentibus edo,  
Ibidis interea tu quoque nomen habe.

Utque mei versus aliquantum noctis habebunt,  
sic vitae series tota sit atra tuae:



haec tibi natali facito, Ianique kalendis 65  
 70 non mentituro quilibet ore legat.

Di maris et terrae, quique his meliora tenetis  
 inter diversos cum Iove regna polos,  
 huc, precor, huc vestras omnes advertite mentes,  
 et sinite optatis pondus inesse meis. 70

75 Ipsaque tu tellus, ipsum cum fluctibus aequor,  
 ipse meas aether accipe summe preces.  
 Sideraque et radiis circumdata solis imago,  
 lunaque, quae numquam quo prius orbe micas,  
 noxque tenebrarum specie reverenda tuarum, 75

80 quaeque ratum triplici pollice netis opus,  
 quique per infernas horrendo murmure valles  
 inperiuratae laberis amnis aquae,  
 quasque ferunt torto vittatis angue capillis  
 carceris obscuras ante sedere fores, 80

85 vos quoque, plebs superum, Fauni Satyrique Laresque  
 fluminaque et nymphae semideumque genus,  
 denique ab antiquo divi veteresque novique  
 in nostrum cuncti tempus, adeste, chao.

Carmina dum capiti male fido dira canentur 85  
 90 et peragent partes ira dolorque suas,  
 adnuite optatis omnes ex ordine nostris,  
 et sit pars voti nulla caduca mei.

quaeque precor, fiant: ut non mea dicta, sed illa  
 Pasiphaes generi verba fuisse putet; 90  
 95 quasque ego transiero poenas, patiatur et illas;  
 plenius ingenio sit miser ille meo!

Neve minus noceant fictum execrantia nomen  
 vota, minus magnos commoveantve deos:  
 illum ego devoveo, quem mens intellegit, Ibin, 95  
 100 qui se scit factis has meruisse preces...

Nulla mora est in me, peragam rata vota sacerdos;  
 quisquis ades sacris, ore favete, meis;  
 quisquis ades sacris, lugubria dicite verba,  
 et fletu madidis Ibin adite genis; 100  
 105 omnibusque malis pedibusque occurrite laevis,  
 et nigrae vestes corpora vestra tegant.  
 tu quoque, quid dubitas ferales sumere vittas?  
 iam stat, ut ipse vides, funeris ara tui,  
 pompa parata tibi est: votis mora tristibus absit; 105  
 110 da iugulum cultris, hostia dira, meis.

Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas,  
 deneget afflatus ventus et aura suos,  
 nec tibi sol calidus, nec sit tibi lucida Phoebe,  
 destituant oculos sidera clara tuos, 110  
 115 nec se Vulcanus nec se tibi praebeat aer,  
 nec tibi det tellus nec tibi pontus iter;

exul, inops erres, alienaque limina lustres,  
 exiguumque petas ore tremente cibum,  
 nec corpus querulo nec mens vacet aegra dolore, 115  
 120 noxque die gravior sit tibi, nocte dies,  
 sisque miser semper, nec sis miserabilis ulli;  
 gaudeat adversis femina virque tuis.  
 Accedat lacrimis odium, dignusque putere,  
 qui, mala cum tuleris plurima, plura feras, 120  
 125 sitque, quod est rarum, solito defecta favore  
 fortunae facies invidiosa tuae,  
 causaque non desit, desit tibi copia mortis ;  
 optatam fugiat vita coacta necem,  
 luctatusque diu cruciatos spiritus artus 125  
 130 deserat, et longa torpeat ante mora.

Evenient, dedit ipse mihi modo signa futuri  
 Phoebus, et a laeva maesta volavit avis.  
 Certe ego, quae voveo, superos motura putabo,  
 speque tuae mortis, perfide, semper alar. 130  
 145 Et prius hanc animam, nimium tibi saepe petitam,  
 auferet illa dies, quae mihi sera venit,  
 quam dolor hic umquam spatio evanescere possit,  
 leniat aut odium tempus et hora meum. 134

Tum quoque, cum fuero vacuas dilapsus in auras, 141  
 140 exsanguis mores oderit umbra tuos,  
 tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum,

insequar et vultus ossea forma tuos ;  
sive ego, quod nolim, longis consumptus ab annis, 145  
sive manu facta morte solutus ero,  
145 sive per immensas iactabor naufragus undas,  
nostraque longinquus viscera piscis edet,  
sive peregrinae carpent mea membra volucres,  
sive meo tinguent sanguine rostra lupi, 150  
sive aliquis dignatus erit subponere terrae  
150 et dare plebeio corpus inane rogo –

quidquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris,  
et tendam gelidas ultor in ora manus.

Me vigilans cernes, tacitis ego noctis in umbris 155  
excitiam somnos visus adesse tuos,  
155 denique quidquid ages, ante os oculosque volabo  
et querar, et nulla sede quietus eris;  
verbera saeva dabunt sonitum nexaeque colubrae,  
conscia fumabunt semper ad ora faces: 160  
his vivus furiis agitabere, mortuus isdem,  
160 et brevior poena vita futura tua est.

Nec tibi continget funus lacrimaeque tuorum;  
indeploratum proiciere caput,  
carnificisque manu, populo plaudente, traheris, 165  
infixusque tuis ossibus uncus erit.  
Ipsae te fugient, quae carpunt omnia, flammae;

respuet invisum iusta cadaver humus;  
unguibus et rostro crudus trahet ilia vultur  
et scindent avidi perfida corda canes, 170  
deque tuo fiet † licet hac sis laude superbus †  
170 insatiabilibus corpore rixa lupis.

In loca ab Elysiis diversa fugabere campis,  
quasque tenet sedes noxia turba, coles ;  
Sisyphus est illic saxum volvensque petensque, 175  
quique agitur rapidae vinctus ab orbe rotae,  
175 quaeque gerunt umeris perituras Belides undas,  
exulis Aegypti, turba cruenta, nurus, 178  
iugeribusque novem summus qui distat ab imo, 181  
visceraque assiduae debita praebet avi; 182  
poma pater Pelopis praesentia quaerit, et idem 179  
180 semper eget liquidis, semper abundat aquis. 180

Hic tibi de Furiis scindet latus una flagello, 183  
ut sceleris numeros confiteare tui; 184  
altera Tartareis sectos dabit anguibus artus; 185  
tertia fumantes incoquet igne genas.  
185 Noxia mille modis lacerabitur umbra, tuasque  
Aeacus in poenas ingeniosus erit.  
In te transcribet veterum tormenta reorum:  
sontibus antiquis causa quietis eris – 190  
Sisyphæ, cui tradas revolubile pondus, habebis;  
190 versabunt celeres nunc nova membra rotae;

hic et erit, ramos frustra qui captet et undas;  
hic inconsumpto viscere pascet aves.

	Nec mortis poenas mors altera finiet huius,	195
	horaque erit tantis ultima nulla malis:	
195	inde ego pauca canam, frondes ut siquis ab Ida	
	aut summam Libyco de mare carpat aquam.	198
	Nec mala voce mea poterunt tua cuncta referri,	203
	ora licet tribuas multiplicata mihi,	204
	nam neque quot flores Sicula nascantur in Hybla	199
200	quotve ferat, dicam, terra Cilissa crocos,	200
	nec cum tristis hiems Aquilonis inhorruit alis,	201
	quam multa fiat grandine canus Athos –	202
	tot tibi vael misero venient talesque ruinae,	205
	ut cogi in lacrimas me quoque posse putem.	
205	Illae me lacrimae facient sine fine beatum:	
	dulcior hic risu tunc mihi fletus erit.	
	Natus es infelix, † ita di voluere †nec ulla	
	commoda nascenti stella levisve fuit:	210
	non Venus affulsit, non illa Iuppiter hora,	
210	lunaque non apto solque fuere loco,	
	nec satis utiliter positos tibi praebuit ignes	
	quem peperit magno lucida Maia Iovi.	
	Te fera nec quicquam placidum spondentia Martis	215
	sidera presserunt falciferique senis.	

215 Lux quoque natalis, ne quid nisi triste videres,  
 turpis et inductis nubibus atra fuit:  
 haec est, in fastis cui dat gravis Allia nomen,  
 quaeque dies Ibin, publica damna tulit; 220  
 qui simul impura matris prolapsus ab alvo  
 220 cinyphiam foedo corpore pressit humum,  
 sedit in adverso nocturnus culmine bubo,  
 funereoque graves edidit ore sonos.

Protinus Eumenides lavere palustribus undis, 225  
 qua cava de Stygiis fluxerat unda vadis,  
 225 pectoraque unxerunt Erebeae felle colubrae,  
 terque cruentatas increpuere manus.  
 Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino:  
 hic primus pueri venit in ora cibus; 230  
 perbibit inde suae rabiem nutricis alumnus,  
 230 latrat et in toto verba canina foro.

Membraque vinxerunt tinctis ferrugine pannis,  
 a male deserto quos rapuere rogo  
 et, ne non fultum nuda tellure iaceret, 235  
 molle super silices inposuere caput.

235 Iamque recessurae viridi de stipite factas  
 admorunt oculos usque sub ora faces;  
 flebat, ut est fumis infans contactus amaris,  
 de tribus est cum sic una locuta soror: 240

240           ‘Tempus in inmensum lacrimas tibi movimus istas,  
          quae semper causa sufficiente cadent.’  
          Dixerat, at Clotho iussit promissa valere,  
          nevit et infesta stamina pulla manu  
          et, ne longa suo praesagia diceret ore,                                 245  
          ‘Fata canet vates qui tua,’ dixit, ‘erit.’

245           Ille ego sum vates, ex me tua vulnera discas,  
          dent modo di vires in mea verba suas,  
          carminibusque meis accedent pondera rerum,  
          quae rata per luctus experiere tuos.   250

250           Neve sine exemplis aevi cruciere prioris,  
          sint tua Troianis non leviora malis,  
          quantaque clavigeri Poeantius Herculis heres,  
          tanta venenato vulnera crure geras;  
          nec levius doleas, quam qui bibit ubera cervae,                                 255  
          armatique tulit vulnus, inermis opem,  
255           quique ab equo praeceps in Aleia decidit arva,  
          exitio facies cui sua paene fuit.

          Id quod Amyntorides videas, trepidumque ministro  
          praetemptes baculo luminis orbus iter,   260  
          nec plus aspicias quam quem sua filia rexit,  
260           expertus scelus est cuius uterque parens.  
          Qualis erat, postquam est iudex de lite iocosa  
          sumptus, Apollinea clarus in arte senex;



qualis et ille fuit, quo praecipiente columba 265  
 est data Palladiae praevia duxque rati,  
 265 quique oculis caruit, per quos male viderat aurum,  
 inferias nato quos dedit orba parens;  
 pastor ut Aetnaeus, cui casus ante futuros  
 Telemus Eurymides vaticinatus erat, 270  
 ut duo Phinidae, quibus idem lumen ademit  
 270 qui dedit. Ut Thamyrae Demodocique caput  
  
 sic aliquis tua membra secet, Saturnus ut illas  
 subsecuit partes, unde creatus erat,  
 nec tibi sit melior tumidis Neptunus in undis, 275  
 quam cui sunt subitae frater et uxor aves,  
 275 sollertique viro, lacerae quem fracta tenentem  
 membra ratis Semeles est miserata soror.  
  
 Vel tua, ne poenae genus hoc cognoverit unus,  
 viscera diversis scissa ferantur equis, 280  
 vel quae, qui redimi Romano turpe putavit,  
 280 a duce Puniceo pertulit, ipse feras.  
  
 Nec tibi subsidio praesens sit numen, ut illi,  
 cui nihil Hercei profuit ara Iovis,  
 utque dedit saltus a summa Thessalus Ossa, 285  
 tu quoque saxoso praecipitere iugo;  
 285 aut velut Eurylochi, qui sceptrum cepit ab illo,  
 sint artus avidis anguibus esca tui,

vel tua maturet, sicut Minoia fata,  
per caput infusae fervidus umor aquae, 290  
aut ut Erecthides, magno ter ab Hercule victus, 293  
290 caesus in inmensum proiciare fretum.

Aut ut Amyntiaden, turpi dilectus amore 295  
oderit, et saevo vulneret ense puer;  
nec tibi fida magis misceri pocula possint,  
quam qui cornigero de Iove natus erat,  
295 more vel intereas capti suspensus Achaei,  
qui miser aurifera teste pependit aqua, 300  
aut ut Achilliden, cognato nomine clarum,  
opprimat hostili tegula iacta manu.  
Nec tua quam Pyrrhi felicius ossa quiescant,  
300 sparsa per Ambracias quae iacuere vias,  
nataque ut Aeacidae iaculis moriaris adactis – 305  
non licet hoc Cereri dissimulare sacrum –

utque nepos dicti nostro modo carmine regis,  
cantharidum sucos dante parente bibas.

305 Aut pia te caeso dicatur adultera, sicut  
qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est. 310

Inque pyram tecum carissima corpora mittas,  
quem finem vitae Sardanapallus habet,  
utque Iovis Libyci templum violare parantes,

310	acta noto vultus condat harena tuos, utque necatorum Darei fraude secundi, sic tua subsidens devoret ora cinis, aut ut olivifera quondam Sicyone profecto, sit frigus mortis causa famesque tuae,	315
315	aut ut Atarnites, insutus pelle iuveni turpiter ad dominum praeda ferare tuum. Inque tuo thalamo ritu iugulere Pheraei, qui datus est leto coniugis ense suae, quosque putas fidos, ut Larisaeus Aleuas	320
320	vulnere non fidos experiare tuo, utque Milo, sub quo cruciata est Pisa tyranno, vivus in occultas praecipiteris aquas. Quaeque in Adimantum Phyllesia regna tenentem a Iove venerunt, te quoque tela petant,	325
325	aut ut Amastriacis quondam Lenaeus ab oris, nudus Achillea destituaris humo, utque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta more bovis Paphio clausus in aere gemas aut, ut Cassandreu domino non mitior illo,	330 439
330	saucius ingesta contumuleris humo.	440 461
	utque vel Eurydamas ter circum busta Thrasylli est Larisaeis raptus ab hoste rotis, vel qui, quae fuerat tutatus moenia saepe, corpore lustravit non diuturna suo,	
335	utque novum passa genus Hippomeneide poenae	335

	tractus in Actaea fertur adulter humo,	336
	solaque Limone poenam ne senserit illam,	459
	et tua dente fero viscera carpat equus:	460
	sic, ubi vita tuos invisā reliquerit artus,	337
340	ultores rapiant turpe cadaver equi.	338
	Viscera sic aliquis scopulus tua figat, ut olim	339
	fixa sub Euboico Graia fuere sinu,	340
	utque ferox periit et fulmine et aequore raptor,	
	sic te mersuras adiuvet ignis aquas.	
345	Mens quoque sic furiis vecors agitetur, ut illi,	
	unum qui toto corpore vulnus habet,	
	utque Dryantiadae Rhodopeia regna tenenti,	345
	in gemino dispar cui pede cultus erat,	
	ut fuit Oetaeo quondam generoque draconum	
350	Tisamenique patri Calliroesque viro.	
	Nec tibi contingat matrona pudicior illa,	
	qua potuit Tydeus erubuisse nuru,	350
	quaeque sui Venerem iunxit cum fratre mariti,	
	Locris in ancillae dissimulata nece.	
355	Tam quoque, di faciant, possis gaudere fideli	
	coniuge, quam Talai Tyndareique gener,	
	quaeque parare suis letum patruelibus ausae	355
	Belides assidua colla premuntur aqua.	

Byblidos et Canaces, sicut facit, ardeat igne,  
360 nec nisi per crimen sit tibi fida soror;  
filia si fuerit, sit quod Pelopea Thyestae,  
Myrrha suo patri, Nyctimeneque suo, 360  
neve magis pia sit capitique parentis amica,  
quam sua vel Pterelae, vel tibi, Nise, fuit,  
365 infamemque locum sceleris quae nomine fecit,  
pressit et inductis membra paterna rotis.

Ut iuvenes pereas, quorum fastigia vultus 365  
membraque Pisaeae sustinuerunt foris;  
ut qui perfusam miserorum saepe procorum  
370 ipse suo melius sanguine tinxit humum;  
proditor ut saevi periit auriga tyranni,  
qui nova Myrtoae nomina fecit aquae; 370  
ut qui velocem frustra petiere puellam,  
dum facta est pomis tardior illa tribus;  
375 ut qui tecta novi formam celantia monstri  
intrarunt caecae non redeunda domus;  
ut quorum Aeacides misit violentus in altum 375  
corpora cum senis altera sena rogam;  
ut quos, obscuri victos ambagibus oris,  
380 legimus infandae Sphingae dedisse neci;  
ut qui Bistoniae templo cecidere Minervae,  
propter quos acies nunc quoque tecta deae est; 380  
ut qui Threicii quondam praesepia regis

fecerunt dapibus sanguinolenta suis;  
 385 Therodamanteos ut qui sensere leones,  
 quique Thoanteae Taurica sacra deae;  
 ut quos Scylla vorax Scyllaeque adversa Charybdis 385  
 Dulichiae pavidos eripuerunt rati;  
 ut quos demisit vastam Polyphemus in alvum;  
 390 ut Laestrygonias qui subiere manus;  
 ut quos dux Poenus mersit putealibus undis  
 et iacto canas pulvere fecit aquas: 390  
 sex bis ut Icaridos famulae periit procique,  
 inque caput domini qui dabat arma procis...

395 Ut iacet Aonio luctator ab hospite fusus,  
 qui, mirum, victor, cum cecidisset, erat ;  
 ut quos Antaei fortes pressere lacerti, 395  
 quosque ferae morti Lemnia turba dedit, 396  
 quique trabes pressas ab humo mittebat in auras, 409  
 400 aequoris aspiciens huius et huius aquas; 410  
 ut qui post longum, sacri monstrator iniqui, 397  
 elicit pluvias victima caesus aquas;  
 frater ut Antaei, quo sanguine debuit, aras  
 tinxit, et exemplis occidit ipse suis; 400  
 405 ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis  
 impius humano viscere pavit equos;  
 ut duo diversis sub eodem vindice caesi  
 vulneribus, Nessus Dexamenique gener;  
 ut pronepos, Saturne, tuus, quem reddere vitam 405

410 urbe Coronides vidit ab ipse sua;  
 ut Sinis et Sciron et cum Polypemone natus,  
 quique homo parte sui, parte iuencus erat, 408  
 quaeque Ceres laeto vidit pereuntia vultu 411  
 corpora Thesea Cercyonea manu...

415 Haec tibi, quem meritis precibus mea devovet ira,  
 evenient, aut his non leviora malis.

Qualis Achaemenidis, Sicula desertus in Aetna 415  
 Troica cum vidit vela venire, fuit,  
 qualis erat nec non fortuna binominis Iri,  
 420 quique tenent pontem, spe tibi maior erit.  
 Filius et Cereris frustra tibi semper ametur,  
 destituaque tuas usque petitus opes: 420  
 utque per alternos unda labente recursus  
 subtrahitur presso mollis harena pedi,  
 425 sic tua nescio qua semper fortuna liquescat,  
 lapsaque per medias effluat usque manus.  
 Utque pater solitae varias mutare figuras, 425  
 plenus inextincta conficiare fame,  
 nec dapis humanae tibi sint fastidia; quaque  
 430 parte potes, Tydeus temporis huius eris.  
 Atque aliquid facies, a vespere Solis ad ortus  
 cur externati rursus agantur equi: 430  
 foeda Lycaoniae repetes convivia mensae,  
 temptabisque cibi fallere fraude Iovem –

435       teque aliquis posito temptet vim numinis opto,  
           Tantalides tu sis, tu Teleique puer.

          Et tua sic latos spargantur membra per agros,           435  
           tamquam quae patrias detinuere vias;  
           aere Perilleo veros imitere iuencos,  
 440       ad formam tauri conveniente sono.           438

          Dumque redire voles aevi melioris in annos,           441  
           ut vetus Admeti decipiare soccer,  
           aut eques in medii mergare voragine caeni,  
           dummodo sint fati nomina nulla tui.

445       Atque utinam pereas, veluti de dentibus orti           445  
           Sidonia iactis Graia per arva manu,  
           et quae Pitthides fecit de fratre Medusae,  
           eveniant capiti vota sinistra tuo,  
           et quibus exiguo volucris devota libello est,  
 450       corpora proiecta quae sua purgat aqua,           450  
           vulnera totque feras quot dicitur ille tulisse,  
           cuius ab inferiis culter abesse solet.

          Attonitusque seces, ut quos Cybeleia mater  
           incitat, ad Phrygios vilia membra modos,  
 455       deque viro fias nec femina nec vir, ut Attis,           455  
           et quatiis molli tympana rauca manu;  
           inque pecus subito Magnae vertare Parentis,



	victor ut est celeri victaque versa pede,	458
	aut ut Abantiades, aut ut Cycneius heros,	463
465	clausus in aequoreas praecipiteris aquas.	
	Victima vel Phoebo sacras macteris ad aras,	465
	quam tulit a saevo Theudotus hoste necem,	
	aut te devoveat certis Abdera diebus,	
	saxaque devotum grandine plura petant.	
465	Aut Iovis infesti telo feriare trisulco,	
	ut satus Hipponoo, Dexitheaeque pater,	470
	ut soror Autoones, ut cui matertera Maia,	
	ut temere optatos qui male rexit equos,	
	ut ferus Aeolides, ut sanguine natus eodem,	
470	quo genita est liquidis quae caret Arctos aquis,	
	ut Macelo rapidis icta est cum coniuge flammis –	475
	sic, precor, aetherii vindicis igne cadas.	
	Praedaque sis illis, quibus est Latonia Delos	
	ante diem rapti non adeunda Thaso,	
475	quique verecundae speculantem labra Dianae,	
	quique Crotopiaden diripere Linum;	480
	neve venenato levius feriaris ab angue,	
	quam senis Oeagri Calliopesque nurus,	
	quam puer Hypsipyles, quam qui cava primus acuta	
480	cuspede suspecti robora fixit equi.	
	Neve gradus adeas Elpenore cautius altos,	485

vimque feras vini quo tulit ille modo,  
tamque cadas domitus, quam quisquis ad arma vocantem  
iuvit inhumanum Thiodamanta Dryops,  
485 quam ferus ipse suo periit mactatus in antro  
proditus inclusae Cacus ab ore bovis, 490

quam qui dona tulit Nesseo tincta veneno,  
euboicasque suo sanguine tinxit aquas.

Vel de praecipiti venias in Tartara saxo,  
490 ut qui Socraticum de nece legit opus,  
ut qui Theseae fallacia vela carinae 495  
vidit, ut Iliaca missus ab arce puer,  
ut teneri nutrix, eadem matertera, Bacchi,  
ut cui causa necis serra reperta fuit,  
495 livida se scopulis ut virgo misit ab altis,  
dixerat invicto quae mala verba deo. 500

Feta tibi occurrat patrio popularis in arvo,  
sitque Phalaeceae causa leaena necis.

Quique Lycurgiden letavit, et arbore natum,  
500 Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper,  
isque vel exanimis faciat tibi vulnus, ut illi, 505  
ora super fixi quem cecidere suis;  
sive idem, simili pinus quem morte peremit,  
Phryx ac venator sis Berecyniades.

505 Si tua contigerit Minoas puppis harenas,  
te Corcyraeum Cressia turba putet, 510  
lapsuramque domum subeas, ut sanguis Aleuae,  
stella Leoprepidae cum fuit aequa Iovis.

Utque vel Euemus, torrenti flumine mersus  
510 nomina des rapidae, vel Tiberinus, aquae,  
Astacidaeque modo decisa cadavere trunco, 515  
digna feris, hominis sit caput esca tuum.

Quodque ferunt Brotean fecisse cupidine mortis,  
des tua succensae membra cremanda pyrae;  
515 inclususque necem cavea patiaris, ut ille  
non profecturae conditor historiae, 520  
utque repertori nocuit pugnacis iambi,  
sic sit in exitium lingua proterva tuum,  
utque parum stabili qui carmine laesit Athenin,  
520 invisus pereas deficiente cibo,  
utque lyrae vates fertur periisse severae, 525  
causa sit exitii dextera laesa tui.

Utque Agamemnonio vulnus dedit anguis Orestae,  
tu quoque de morsu virus habente cadas.  
525 Sit tibi coniugii nox prima novissima vitae:  
Eupolis hoc periit et nova nupta modo, 530  
utque coturnatum periisse Lycophrona narrant,  
haereat in fibris fixa sagitta tuis;

aut lacer in silva manibus spargare tuorum,  
 530 sparsus ut est Thebis angue creatus avo.  
 Perque feros montes tauro rapiente traharis, 535  
 ut tracta est coniunx imperiosa Lyci,  
 quodque suae passa est paelex invita sororis,  
 excidat ante pedes lingua resecta tuos.  
 535 Conditor ut tardae, laesus cognomine, Myrrhae,  
 urbis in innumeris inveniari locis, 540  
 inque tuis opifex, vati quod fecit Achaeo,  
 noxia luminibus spicula condat apis.  
  
 Fixus et in duris carparis viscera saxis,  
 540 ut cui Pyrrha sui filia fratris erat.  
 Ut puer Harpagides referas exempla Thyestae, 545  
 inque tui caesus viscera patris eas;  
 trunca geras saevo mutilatis partibus ense,  
 qualia Mamertae membra fuisse ferunt,  
 545 utve Syracosio praestricta fauce poetae,  
 sic animae laqueo sit via clausa tuae. 550  
 Nudave derepta pateant tua viscera pelle,  
 ut Phrygium cuius nomina flumen habet;  
 saxificae videas infelix ora Medusae,  
 550 Cephenum multos quae dedit una neci.  
 Potniadum morsus subeas, ut Glaucus, equarum, 555  
 inque maris salias, Glaucus ut alter, aquas,  
 utque duobus idem dictis modo nomen habenti,  
 praefocent animae Cnosia mella viam.

555 Sollicitoque bibas, Anyti doctissimus olim  
imperturbato quod bibit ore reus, 560  
nec tibi, siquid amas, felicius Haemone cedat:  
utque sua Macareus, sic potiare tua.

Vel videas quod, iam cum flammae cuncta tenerent,  
560 Hectoreus patria vidit ab arce puer.  
Sanguine probra luas, ut avo genitore creatus, 565  
per facinus soror est cui sua facta parens,  
ossibus inque tuis teli genus haereat illud,  
traditur Icarii quo cecidisse gener,  
565 utque loquax in equo est elisum guttur acerno,  
sic tibi claudatur pollice vocis iter, 570  
Aut ut Anaxarchus pila minuaris in alta,  
ictaque pro solitis frugibus ossa sonent.

Utque patrem Psamathes, condat te Phoebus in ima  
570 Tartara, quod natae fecerat ille suae,  
inque tuos ea pestis eat, quam dextra Coroebi 575  
vicit, opem miseris Argolisinque tulit,  
utque nepos Aethrae, Veneris moriturus ob iram,  
exul ab attonitis excutiaris equis.

575 Propter opes magnas ut perdidit hospes alumnum,  
perdat ob exiguas te tuus hospes opes, 580  
utque ferunt caesos sex cum Damasicthone fratres,  
intereat tecum sic genus omne tuum.

Addidit ut fidicen miseris sua funera natis,  
580 sic tibi sint vitae taedia iusta tuae,  
utve soror Pelopis, saxo dureris oborto. 585

Ut laesus lingua Battus ab ipse sua,  
aera si misso vacuum iaculabere disco,  
quo puer Oebalides, ictus ab orbe cadas.  
585 Siqua per alternos pulsabitur unda lacertos,  
omnis Abydena sit tibi peior aqua; 590  
comicus ut liquidis periiit, dum nabat, in undis,  
et tua sic Stygius strangulet ora liquor,  
aut ubi ventosum superaris naufragus aequor,  
590 contacta pereas, ut Palinurus, humo.

Utque coturnatum vatem tutela Dianae, 595  
dilaniet vigilum te quoque turba canum,  
aut ut Trinacrius salias super ora gigantis,  
plurima qua flammis Sicani Aetna vomit.

595 Diripiantque tuos insanis unguibus artus  
Strymoniae matres, Orpheos esse ratae. 600  
natus ut Althaeae flammis absentibus arsit,  
sic tuus ardescat stipitis igne rogus.

600 Ut nova Phasiaca comprehensa est nupta corona,  
utque pater nuptae, cumque parente domus,  
ut cruor Herculeos abiit diffusus in artus, 605  
corpora pestiferum sic tua virus edat.

Qua sua Penteliden proles est ultra Lycurgum,  
haec maneat teli te quoque plaga novi,  
605 utque Milo robur diducere fissile temptes,  
nec possis captas inde referre manus; 610  
muneribusque tuis laedaris, ut Icarus, in quem  
intulit armatas ebria turba manus.  
Quodque dolore necis patriae pia filia fecit,  
610 vincula per laquei fac tibi guttur eat,  
obstructoque famem patiaris limine tecti, 615  
ut legem poenae cui dedit ipsa parens.  
Illius exemplo violes simulacra Minervae,  
Aulidis a portu qui leve vertit iter,  
615 Naupliadaeve modo poenas pro crimine falso  
morte luas, nec te non meruisse iuuet. 620

Aethalon ut vita spoliavit Isindius hospes,  
quem memor a sacris nunc quoque pellit Ion;  
utque Melanthea tenebris a caede latentem  
620 prodidit officio luminis ipsa parens:  
sic tua coniectis fodiantur viscera telis, 625  
sic precor auxiliis impediare tuis.

Qualis equos pacto, quos fortis agebat Achilles,  
acta Phrygi timido, nox tibi talis eat,  
625 nec tu quam Rhesus somno meliore quiescas,  
quam comites Rhesi tum necis, ante viae, 630  
quam quos cum Rutulo morti Ramnete dederunt

impiger Hyrtacides Hyrtacidaeque comes.  
Cliniadaeve modo circumdatus ignibus atris  
630 membra feras Stygiae semicremata neci,  
utque Remo muros auso transire recentes, 635  
noxia sint capiti rustica tela tuo.

Denique Sarmaticas inter Geticasque sagittas  
his precor ut vivas et moriari locis...

635 haec tibi tantisper subito sint missa libello,  
inmemores ne nos esse querare tui: 640  
pauca quidem, fateor, sed di dent plura rogatis,  
multiplicentque suo vota favore mea.  
Postmodo plura leges et nomen habentia verum,  
640 et pede quo debent acria bella geri.